


06

A

972





JESU Juva.

DISPUTATIO JURIS PUBLICI

De

LIBERA IMPERII

NOBILITATE FRANCONIÆ, SVEVIÆ, ET PENES TRACTUM RHENI, AN STATUS IMPERII DICEN- DA SIT?

Quam

Consensu Magnifici Jctorum Ordinis,
in celeberrima Wittebergensi Academia,
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, Nobilissimo, Consultissimo, Amplis-
simo atq; Excellentissimo

DN. WERNERO THEODORO MARTINI,
Jcto Pandect. P. P. celeberrimo, Sereniss. Elect. Sax. Con-
siliario, Curia Electoralis, Consistorii Ecclesiastici, Facultatis
& Scabinatus Adessore Gravissimo, & p. t. Aca-
demia Rectore;

*DN. Patrono atq; Praeceptore suo omni honoris ac
observantia culta etatem devenerando,
Publicæ eruditorum censurae sistit*

ADAM JOACHIM à Kyaw / Equ. Lus.
Auth. & Respondens.

*In Auditorio Jctorum, horis pomeridianis,
Ad diem 10. August. St. N. Anno clō Ibc LXIX.*

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.
Wolff Albert Von Löben.





06 A 972

VIRIS

Illustribus & Generosissimis

Nec non

Præmodum summè reve-
rendis

MAGNIFICIS, NOBILISS.

ET MAXIME STRENUIS
DOMINIS,

DNN.

ORDINIBUS

PROVINCIALIBUS

LUSATIÆ SUPE-
RIORIS.

PRO-

PROCERIBUS
Ejusdem
EMINENTISSIMIS,
&
COLUMINIBUS
EXCELSISSIMIS,
Dominis meis munificis
& Gratosissimis,

*Fautoribus, Evergetis ac Patronis meis
summo observantiae cultu et atem
devenerandis,*

Haec Juris publici primitias obser-
vantissimè & officiosissimè

D. D.

Adam Joachim à Kyaw.



I. J.



Ulci insignes & maximæ
authoritatis viri, spinosæ in
rubro citatæ quæstioni, *Qua-*
lem nimirum in Sacro bodiern.
Romano Germanico imperio
libera imperii Nobilitas autho-
ritatem obtineret? colophonem addere omnem
navarunt operam: Verum adeò varii extitère,
ut an veram assequuti metam, quis dubius me-
ritò hæere posset. Nam vota Cameralia ab
Adriano Gylmanno, aliisq; congesta, & publici
juris facta, vera, eaq; hinc inde dispersa, Delphi-
cum Oraculum, & genuinam hujus quæstionis
decisionem habuerunt, cum tamen ejusmodi vo-
ta, cum suis rationibus decidendi non quovis
tempore, per majora approbata, sed quæ pro
prædictæ hujus quæstionis decisione ab altera
parte allegata, ea ab adversa restituta, & pro
generali sententia probata fuerunt: Hinc cita-
ta vota cum iudicio, ut sic quæ vera elucescant,
A legenda,

legenda, & vota cum votis secundum illorum
fundamenta ad rationis lancem perpendenda ve-
niunt, quorum numero pars illorum liberæ im-
perii Nobilitati, jus immedietatis prorsus dene-
gat, pars Statum Imperii pro ratione diversita-
tis objecti & materiæ, qua de agitur, describit. De-
niq; pars Statum imperii totaliter confusum tra-
dit. Maximâ quidem curâ atq; industria in gra-
tiam Nobilitatis immediatæ & mediatæ Johan-
nes Bidenbach in suis Quæstionibus, & Paulus
Matthias Wehnerus & Johannes Kudingerus in
suis observationibus, hanc materiam illustrave-
runt, eam tamen præ se ferunt speciem, ac si qui-
busdam in locis votis Cameralibus recti fuissent.
Unanimis quædam propositæ quæstionis decisio
optanda esset, ut iudex pro varietate negotiorum
in hoc casu istam sequi, neq; à tramite justitiæ de-
flectere possit.

1. Cujus felix auspiciam duce ratione à po-
terioribus & generalioribus terminis sumendum,
& lento gradu ad specialiora progrediendum du-
ximus, uti juris nostri Interpretes magno consilio
inculcant *in l. e. re est 1. ff. si certum petatur*, mul-
tisq; rerum argumentis ex ipsis naturæ principiis
deductis comprobant, *Cognol. in rub. ff. d. R. I. n. 14.*
Et 15.

2. Hinc

2. Hinc ab initio præsupponendum, quod vocabulum STATUS sit *πρόσθετον*, & ejus vocis significatio non semper eadem, sed diversa: Hominum enim Status triplex in jure traditur:

Primus est naturalis, & in discrimine sexus consistit. An quis sit mas vel foemina vel hermaphroditus.

Alter est juris gentium, & pro ipsâ hominis conditione jure gentium introducta capitur, h. e. cum quis liber vel servus.

Tertius est juris civilis ad statum & dignitatem hominis pertinens, an quis ingenuus, Nobilis, Senatoris filius vel plebejus, prout Dd. hæc diversas species tradunt *in tt. ff. d. stat. hominum. De his qui sunt sui vel alieni juris, & de Sen. ac alibi passim.*

3. Hinc Romano-Germanicum imperium ut corpus universale consideratum constat membris principalioribus & minus principalibus: hæc vero nihilominus sunt membra totius corporis, ac membra principaliora. Quod quæso monstrum naturæ, si corpus capite manibus, oculisq; instructum, pedibus destitutum esset! quoniam vero benè dispositum corpus his carere nequit, Romano Germanicum imperium antiquis temporibus huic simile formatum, ut Electoribus cum Ecclesiasticis, tum secularibus, Burggraviis, Prælatibus, Comitibus, Baronibus

Baronibus, Nobilibus, Civibus, & rusticis suis constaret.

4. Ex quibus omnibus vocabulum STATUS in generalissimâ significatione sumtum omnes imperii subditos sive immediatos sive mediatos denotare, luce meridianâ clarius patescit.

5. Illi vero duplici modo considerantur, aut sunt Immediati aut Mediati Status, uti videre licet in Recessibus imperii & in Imperio notorium existit, Immediati Status Imperatoriæ Majestati absq; medietate sunt subjecti, immediate dependentes ab imperio, ex quo etiam Status imperii nuncupantur, Mediati Statibus imperii immediatis ut Electoribus, Prælatibus, Comitibus, Baronibus, Nobilitati Franconiæ Sveviæ & penes tractum Rheni ut & civitatibus imperialibus liberis subsunt, ac hi in specialiori significatione non Status imperii, sed provinciales, aut Landtsassii cujuslibet Electoratus, Comitatus & Magistratus sub cujus sunt Idictione dicuntur.

6. Ad augendam imperii Majestatem, in signum Ecclesiæ & præeminentiæ, Majores nostri inter immediatos imperii Status nonnullos, ut quatuor Duces, quatuor Marchiones, quatuor Burggravios, quatuor Landgravios, quatuor Comites, 4. Barones, 4. Nobiles, 4. Civitates, 4 Pagos, & 4. Rusticos, quorum nomina sis
legas

legas apud Petrum de Andlo tract. d. R. I. c. 16. tit. de principibus & proceribus, super quib. Romani imperii potentatus fundatus est, & Munsteri Cosmograph. l. 3. c. 15. ut & Hemmingium Holder, consil. 1. in quibus secundum nonnullorum mentem Sacrum Imperium maximâ ex parte fundatum esse debeat, elegerunt, ex quibus deductis liberam imperii Nobilitatem non solum inter immediatos status, sed & ad imperii Majestatem augendam, cœteris paribus, super quibus Romani imperii potentatus fundatus esse debeat, collocatam fuisse. Quicumq; igitur id ipsum fateri recusat, cui statui immediata Nobilitas annumeranda, causas reddere sufficientes necesse habebit; sin mediâté Imperio subest, qua nam de causa in Recessibus imperii Immediata NOBILITAS passim appellata fuit; sin immediatè, ut ab Imperatoribus, Electoribus & Statibus in genere æstimata fuit, alterius sive Ecclesiastici, sive secularis Status Jurisdictioni subesse nequit, hac enim ratione non immediata sed mediata dicēda esset. Verum regerere quis posset, id diverso respectu optimo jure fieri posse; Sed brevibus, hic diversus respectus liberam Imperii nobilitatem jure immedietatis neq; privare neq; alterius jurisdictioni subjicere valet, sed respectu immedietatis uno eodemque modo immediatus Imperii Status erit permansura.

7. Eâdem consideratione omnes immediati Status majoris aut minoris conditionis Authoritatis & Dignitatis constitutionum Imperii de Pignoribus, Arrestis, litigiosa possessionis & l. diffamari aut quo nomine istæ veniant, ut immediati Status Imperii activè & passivè sunt participes, quarum etiam auxilio se suasque res contra vim & injuriam aliorum effectivè tueri possunt.

8. Nam in constitutionibus Imperii Status considerantur ratione originis, etiamsi nulla bona ab imperio teneant & possideant, prout notatur in præjudiciis Cameralibus sub Rubrica STATUS IMPERII: ubi tria adducuntur præjudicia, in quibus contra reos immediate subjectos ex D. Imperatorum Constitutionibus processus decreti sunt, licet nulla bona ab Imperio habuerint. Exempla passim sunt obvia in Germania, in Principum, Comitum, & Baronum familiis, in quibus nati minores, à majoribus fratribus excluduntur, ab immobilibus & certâ pecuniæ summâ contenti esse jubentur: Interim tamen Status imperii nativitatis illorum consideratione habitamant, & tanquam tales ex D. Imperat. Constitut. agunt & conveniuntur, idq; quotidiana Camerae praxis observat, modo non sint alterius Status subditi.

9. Hisco

9. Hisce prædictis nihil obesse possunt nar-
rata in illis præjudiciis Camerae adducta, sub vo-
cabulo NOBILITAS, quod nobilitas quanquam
conjunctim possit dici Status imperii, tamen se-
paratim unus vel alter non sit, & idipsum per
narrata Imperatoris in Mandato sine clausula ad
supplicationem Castel & Graylsheimb in puncto
abdicationis Judæorum in Rottelsee, decreto &
emanato posita, probari videtur, sequentibus
verbis: *Die weiln den Ihr (die von Graylsheimb)*
kein Standt des Reichs seyd / noch als privati et-
nige privilegia habe noch erlangen können / d. 30.
Jan. A. 1580. In omnibus siquidem Camerae Im-
perialis decretis procesibus in conceptione illo-
rum narrata supplicationum pro procesibus ver-
botenus ponuntur, & in substantialibus ne mini-
mum mutatur, quo eo ipso rei contra quos pro-
cessus sub & obreptivè extracti sunt, liberio-
rem excipiendi licentiam nanciscantur, hinc præcitata
verba in dicto Mandato sine clausulà non sunt
narrata imperatoris, sed ipsius partis supplican-
tis, id quod Imperator in omnibus decretis &
emanatis procesibus dilucidis verbis asserit in-
quiens: *Unser und des Heyl Reichs lieber getreuer*
hatt uns unterthänig supplicando vorgebracht:
tunc narrata supplicantis sequuntur.

10. Eadem ratione, si quis in supplicatione Status dictus idem prædicatum in emanatis & decretis procesibus reo attribuitur. Sin secus, & reum non esse Statum imperii narratur; eadem narrata in decretis procesibus retinentur, & reproductis de veritate aut falsitate narratorum disputatur, sin falsa mandatum redditur nullum, & impetrans condemnatur in expensas, hinc dicta mandata clausulâ (Sin preces veritate nitantur) semper munita, & hoc sensu accipienda & interpretanda sunt; Ex narratis igitur mandatorum nullum firmum & validum licet haurire argumentum, nisi veriora cognita, & exceptionibus non obstantibus paritio per sententiam injuncta sit, & hâc ratione narrata supplicationis in mandato suprâ dicto salva prælibatâ clausulâ, retenta sunt, neq; deducta nobilibus Franconiæ à **Gransheimb** ratione originis & Status, aut prodesse, aut obesse potuerunt, cum in præsentî casu stetur narratis, donec contrarium probetur. Præterea allegata mandati verba, quia medium concludendi, ad quod illud restrictum in istis unicè fundatum, haud præteriri valuere. Insuper multa narrata notoriè falsa & falsa esse, exemplis docere hîc supersedeo. Egregia sane privilegia ac regalia ab imperatoribus & Regibus liberos imperii Nobiles etiam ab ipsis Episcopis Herbipolensibus

eme-

emeruisse, & in feudum accepisse, notorium existit, propterea sæpe numero citata narrata, (Nobiles à *Graylsheimb* non ut Status Imperii, sed privatos, in quos tanquam subjectū inhabile regalia cadere nequirent, æstimandos esse) injuriosa & damnosa sunt.

ii. Posito autem sed non concessio, liberam imperii Nobilitatem ut corpus aliquod conjunctim consideratum posse dici Statum imperii; exinde tamen non sequeretur, quod unus vel alter ejus ordinis separatim sit status. Nam quamvis privilegium universitati concessum, ad singulos de Universitate non extendatur, alia enim ratio universitatis alia singulorum, *Cravetta Consil. 383. n. 10. & per alia jura vulgo nota*: Sed hæc juris exclusio de tali concessione, quæ loco facto interpretanda est, ut, quando privilegium conceditur civitati vel universitati tanquam certo loco; nec de concessione, quæ fit universitati, non tanquam certo loco, sed tanquam personis, sive ratione, intuitu & contemplatione personarum de ipsa universitate. Tunc enim privilegium, universitati concessum, extenditur ad singulas personas ejusdem universitatis *per distinctionem Barth. in l. si finita. §. hoc edicto ff. solut. matrimonio. n. 13. ubi inquit hanc doctrinam indistinctè in beneficio in quo hic versamur procedere Idem tra-*

B

dit

dit ipsemet Barth. in l. 2. ff. de V. S. quem Dd. communiter sequuntur; Nam membra non debent discrepare à suo corpore, c. cum licet de prescriptione. Quod enim Juris est in toto quoad totum, idem juris esse debet in quâlibet ejus parte quoad partem: quæ argumentatio à toto ad partem non tantum est probabilis, sed & necessaria frequens & utilis teste Everhardo in l. legalib. à toto ad partem. Inno turpis est pars, quæ toto suo universo non correspondet, tunc non est in toto, sed extra totum Cognol. in l. in toto 114. ff. de R. J. & plane vitiosa esset compositio, quam Decian respons. 19. n. 130. vol. 3. Sorelmon ex Quintiliano vocat, & Horatius de arte Poeticâ statim in principio, hunc in modum deridet:

Humano capiti cervicem pictor equinam

Fungere si velit, & varias inducere plumas

Undiq; collatis membris, ut turpiter atrum

Desinat in piscem mulier formosa superne;

Spectatum admisi risum teneatis amici.

12. Cum itaq; nullus in Franconia Svevia & penes tractum Rheni LIBERA IMPERII NOBILITAS, locus dicatur, Imperatores & Status imperii, Nobilitati jus immedietatis non tanquam loco, sed personis, ex quibus ordo Equestris constat, concessere, & ex supra deductione Bartholi, unum vel alterum ejus ordinis separatim consideratum.

deratum statum esse, luce meridiana clarius pate-
tescit.

13. Majoris probationis ergo hinc allegare
necessum duximus, quod vocabulum NOBILI-
TAS, sit collectivum, & quoties fit pluribus sub no-
mine colectivo, collective vocati dicuntur Barth.
in l. re conj. n. 11 ff. de legat. 3. Ruin. consil. 154. n. 5.
vol. 1. & consil. 140. n. 8. vol. 3. Surd. consil. 439. n.
39. Nomine autem colectivo vocati seu nomi-
nati omnes pro uno corpore habentur, quoties
ordo successionis & affectionis inter eos non ca-
dit *ut hic l. si quis 7. ff. de usufructu accres.* Cra-
vett. *consil. 972. n. 23. Surd. d. consil. 439. n. 39. We-*
senb. consil. 41. n. 124. Hunc autem in modum con-
juncti omnes concurrunt & concursu partes fe-
runt, *l. conjuncti 80. ff. de legat. 3.* Quamvis igitur
vocabulum NOBILITAS non pro nomine col-
lectivo, sed appellativo habeatur, in effectu tamen
conveniunt. Nam vocati seu nominati sub vo-
cabulo appellativo, non minus pro uno corpore
habentur ac illi, qui collectivè nominati sunt *d. l.*
si quis 7. de Usufr. accrescend. l. interdum 13. ff. d. he-
red. instit. Imo nominatim vocati censentur,
Ruin. consil. 123. n. 3. vol. 3. idq; expresse probare
ait in l. Titius 25. de lib. & post hum. hered. Hyp-
pol. Riminald. consil. 50. n. 29. Curt. jun. consil. 58.
num. 4.

B 2 . 14. Hinc

14. Hinc, ne minimum superesse dubium videatur, imperatoria Majestas & Status imperii liberam imperii Nobilitatem, Franconiæ, Sveviæ, & penes tractum Rheni, ut quæ pro immediato Statu habenda sit, proprio dixerunt nomine. Perinde enim est, ac si Nobiles nominatim & specialiter essent expressi, ac pro talibus habiti propter certam denominationem in Recesibus imperii factam *argumento l. certum est ff. de rebus creditis*, & ibi *Dd. l. stipulatione quadam 24. §. certum est, ff. de V. O.* Hunc autem in modum nominati æqualiter admittuntur, cum imperator ac Status imperii æqualem affectionem erga eos habuisse censeantur. Caccio Lupus *consil. 14. inter Conf. Alex. vol. 4. n. 10.* Plures vero specialiter nominatos, æqualiter admitti tradit *Barth. in l. si cognitis ff. de rebus dubiis.* Et concessa pluribus omnibus concessa dicuntur. *d. l. si quis 7. de Usufruct. accresc. §. si plures 7. Inst. de hered. instit. & plures in eodem gradu constituti omnes pariter admittuntur. Menoch. consil. 124. n. 10. & consil. 434. n. 3.* Præsertim si in uno orationis contextu conjuncti & nominati sunt, ut hoc casu nostro *l. cum ita 32. §. fin. ff. de legat. 2. l. fin. Cod. de V. S.* Nam una determinatio, respiciens plura determinabilia, omnia æqualiter determinata intelliguntur. *Barth. in l. Prætor ait §. eritq; differentia ff. de vi bon. rapt. & Dd. alibi passim.*

15. Quam

15. Quamvis vero textus citati primario ultimas voluntates respiciant, hoc tamen notandum, quod omnia privilegia, ultimis voluntatibus concessa, ad beneficia principum extendantur. Ita respondet Rospan, *consil. 388.* & quod ab ultimis voluntatibus ad imperatoris beneficia argumentari liceat, tradunt passim juris nostri interpretes.

16. Cum igitur ab Imperatoribus & Statibus liberæ imperii nobilitati immedietatis concessio & conservatio, ut & adversus potentiores, sin eidem vis quædam illata, maxima cura facta defensio, haud minimum sit beneficium, eâ de causâ allegata jura merito retenta, & quæ de ultimis voluntatibus, eadem de beneficiis principum disposita censeantur. Beneficium enim principis latissimè interpretandum, non tantum quoad verba, sed & quoad res & personas; nec non quoad tempus, locum, & omnes favores beneficiorum, uti *Tapia de constit. principum part. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. prolixè satis differit.*

17. Insuper Imperatores & illorum Antecessores, Nobilitati antiquitus concessa privilegia, non solum corroboravêre, sed etiam Imperator Rudolphus V. pientissimæ memoriæ in anno 1592. ad supplicationem immediatæ Nobilitatis Adseffloribus Camerae imperialis serenissime

mandavit, ne in præjudicium Nobilitatis, exceptiones subjectionis facile admittere, & sub prætextu Idictionis contra ejusdem privilegiâ quid decernere deberent, id quod Rescriptum die 22. Novembris dicti anni publicatum, & hucusque in archivo Camerali custoditum fuit. Quæ igitur de statibus Imperii immediatis in favorem Nobilitatis prolata, iis omnibus *D. Otto Melander in suo Commentario Ord. Cam. part. 1. tit. 6.* assentit, status imperii ita definiens: Quod sint Status Imperii, qui solum imperatorem agnoscunt superiorem, Principes, Prælati, Comites, Barones & Nobiles immediatè imperio subjecti, ac liberæ civitates. *quem sequitur Baurmeister de Idictione lib. 1. c. 6. n. 7. v. 3. in negotiis imperii.*

18. Prætereà omnium constitutionum imperii sunt participes, *id quod ex Ord. Cam. part. 2. & præcitati D. Melandri processu Cam. part. 1. pag. 487. plurib9 videre licet.* Judicia quoq; Austrægiatica singularia iis concessa sunt. *d. Ord. Cam. part. 2. tit. 3. & 5.* & quoties contributiones imperii Imperatoris Majestati, & sacro Imperio promissæ, toties, libera imperii Nobilitas, quamvis certus numerus in albo sive matricula imperii eidem adscriptus non sit, contribuit, exinde Status Imperii immediatus ab anno 1542. & seqq. in Recesibus Imperii ut & novissima pacificatione
Osna-

Osnabrugensi pag. 36. §. 20. & nunc dicta ac
æstimata est. Neganti igitur rationes contrarias
omni exceptione majores, propter quas Status
imperii non habenda sit, reddere incumbit. Nam
quia intentio Nobilium affirmativa legibus Im-
perii fundamentalibus ad nauseam probata; Ad-
versarius haud contentus negativã & quidem fir-
missimis argumentis docere necesse habet.

19. Supra §pho II. fuit dictum Equestrem
ordinem secundum nonnullorum opinionem
collectivè consideratum esse quidem Statum Im-
perii; sed non singulos ex isto ordine.

20. Quamvis autem huic objectioni jamdu-
dum ex asse satisfactum sit, eam tamen Antago-
nistæ exemplo civitatum imperialium deducere
conantur, dicentes: Quæ ratio Senatus respectu
civium civitatis imperialis, quæ statum repræ-
sentaret, Eadem esset immediatorum Nobilium
sub ordine Equestri existentium. Sed hæc est
iniqua & insulsa comparatio, neq; hac in materiã
inter cives & nobiles immediatos subsistere valet.
Cives enim Senatui, Nobiles autem Imperatoriæ
Majestati & Sacro Imperio absq; medietate sub-
sunt, membra igitur imperii immediata, quam-
vis sub ordine equestri existant, nihilominus per-
manent. Si collatio quædam esset formanda in-
ter ordinem equestrem, & civitates imperii libe-
ras

ras, tunc non univēsus ordo cum civitate sed omnes collectivæ cum Nobilitate conferendæ veniunt. Quemadmodum enim corpus Civitatum certis suis membris constat, & quælibet Imperialis civitas tanquam membrum corporis, est separatim Status Imperii; Similiratione Immediata imperii Nobilitas est corpus distinctis suis membris constans, & singuli nobilium ratione provinciarum & circulorum in quibus degunt in genere, sunt distincti, & hoc nomine Franconiæ Sveviæ & penes tractum Rheni veniunt.

21. Ut civitas cujuslibet provinciæ in particulari & separatim considerata nomine, ita Nobilitas certis familiis distingvitur. Cives autem uniuscujusque civitatis, cum subditis nobilium conferri, & sic comparationem fieri oportet, ut quemadmodum nullus civis liberæ imperialis civitatis; Ita nobilis immediati subditus, status imperii esse non possit, quod in Principum, & Comitum statu, qui omnes principes & comites comprehendit, nihilominus unus vel alter illorum seorsim consideratus est Status imperii, eo magis elucescit; eodem modo ordo equestris, (immediata imperii nobilitas dictus) singulos imperii nobiles immediate imperio subiectos, & unum vel alterum, Statum imperii disjunctim denotat. Omnibus enim superiorem non re-
cognoscen-

cognoscentibus principis nomen competit And.
de Ifern. & afflicto. *in prin. proœm. const. regni*,
idq; in civitatibus liberis tradiderunt Barth. *in*
l. hostes in fin. ff. de capt. & postl. revers. & in l. 2.
n. 2. ff. de jure Fisci Tapia in rubr. tit. ff. d. constit.
principum, c. 1. n. 9, & eo respectu æquales æstimantur;
si que nobiles immediati Status imperii non
sunt, quo tandem loco erunt habendi? Imo Petrus
de Andlo d. I. R. c. 16. Proceres imperii nuncupat,
eâ de causâ meritò tales habendi sunt; talia enim
sunt subjecta qualia prædicata demonstrant *l. 3.*
instr. leg. l. si defensor §. qui interrogatus ff. de inter-
rog. Nam prædicatum qualificat subjectum, &
subjectum intelligitur secundum naturam prædi-
cati Everh. *in locis legal. à nomine dignitatis officii,*
vel appellativo n. 1. & 3.

22. Quamvis enim nobiles Franconici Svevici
& Rhenani circuli, correspondentias, confœdera-
tiones, & conventiones, in quibus de salute ordi-
nis equestris cum in genere, tum in specie, consul-
tatur, ineant; hæc tñ. confœderationes non sunt de-
dilitiæ, sed æquales per omnia, i. e. personæ illarū
confœderationū sunt æqualis conditionis, autho-
ritatis & generis. Exinde prædictæ societates &
correspondentiæ ordinis equestris dignitatem
nec augent nec minuunt, sed quilibet separatim
consideratus, eâ conditione quâ antea fuit, exem-

C

plo

plo aliorum Electorum, Comitum, & civitatum imperialium permanebit.

23. Cum igitur nobiles in particulari considerati non sint status imperii, nec ordini equestri dignitatem Status, dicta illorum confederatione attribuere possunt! *Quod enim non habent conferre non possunt.* Adversa ex parte, coadunta Nobilitas, jure quoque unus vel alter illorum Status imperii dicitur. *Nullum enim datur tertium.*

24. Remota sane est ratio confederationum inter civitates imperiales & illarum subditos initarum. Hæc enim est confederatio inæqualis & dedilitia. Fœdus namq; dicitur inæquale, quod inter Magistratum & subditos initur, *quâ de re consulendus Barth. in l. non dubito & in l. hostes ff. d. capt. & postl. revers. & in tract. de repressaliis q. 1. art. 3. n. 9. Castrens. consil. 323. n. 3. l. 1. Decian. consil. 360. n. 8. Roland. à Vall. consil. 1. n. 54. Menoch. de arb. jud. quest. 100. n. 12.* Ex quibus omnibus differentia ordinis equestris & imperialis Civitatis cum illorum subditis & civibus, satis superq; constat.

25. Quibus sepositis, alterâ vice textus ille Gaii lib. 1. observ. 21. n. 1. in præjudicium liberæ Imperii Nobilitatis, citari videtur. Quod status imperii eos vocemus, qui Cæsaris & omnium procerum consensu, in album sive matriculam imperii reperiuntur, ea lege, ut imperio occurren-

te

re necessitate certum censum in matricula
expressum pensitent, & sic alium superiorem
quam Cæsarem non recognoscant, quorum nu-
mero continentur omnes Electores & principes
Germaniæ, tam Ecclesiastici quàm seculares po-
steà Comites & Barones, & postremo liberæ ci-
uitates Imperii, quæ in suis Rebus publicis vicem
principes obtinent. *Quem sequitur Baurmeister*
ster / de Iudictione lib. 1. c. 6. n. 3. & 4. & pleriq; alii,
ex quibus inferunt: Nobilitatē in albo sive matri-
cula imperii nō esse expressā, neq; ad comitia vo-
cari, multo minus jus sessoræ & suffragiorum in
comitiis, & in illorum territoriis merum & mixtū
imperium ac omnimodam Iudictionem non habe-
re, sicq; consequenter Cæsarem non repræsentare,
ergo inter Statū imperii haud connumerandā esse.

26. Sed Gailii imitatores, observationem, ex
quâ prædicta verba desumpta, ad rationis lancem
haud perpenderunt, & verba emphatica (HO-
RUM Numero IMPRIMIS continentur) alto si-
lento siccisque pedibus transgressi sunt. Nam
dictio (IMPRIMIS) non excludit sed implicat ca-
sum magis dubitabilem, *pro glos. penult. in l. il-
lud. ff. ad. l. Aquil. Decian. respons. 30. vol. 3. n. 42.*
qui licet loquatur in dictione maxime, tamen hæ
voces, *imprimis, præcipuè, potissimum, præ cæte-
ris, ante omnia, & maximè equipollent,* & omnium
una vis est & efficacia, quod ex Cascepino notum
est.

27. Pronomen quoq; relativum, (HORUM) ibidem positum, se refert ad Status imperii in genere, etiam ad eos in matricula imperii non receptos, non verò ad eos solum, qui in matriculâ reperiuntur, jus sessuræ & suffragiorum in Comitibus habent. Sin ad hos solum restringere voluisset, hoc relativum tautologiæ & magis repetitionis vitio laboraret, & hæc ejus oratio, quæ ut dictum, sic est concepta: Horum numero imprimis continentur, Principes, post Electores, Comites, Barones & civitates imperiales.

28. Horum autem numero imprimis Electores, Principes, Comites, Barones & civitates imperiales contineri non possunt, sed sunt illi ipsi Status, quibus matricula constat, & præter eos nemo in ea comprehenditur. Ideoq; verba hæc, *horum numero imprimis continentur, in hisce* Statibus, qui in matriculâ continentur verificari non possunt: Necessariò igitur ad alios Status Imperii, qui non sunt immatriculati, referenda erunt: Inter quos hi imprimis, quorum in præcedentibus memoria fuit habita: atq; ita vocabulum imprimis includit etiam illos Status, qui non sunt immatriculati, sessionem, & vocem in comitiis non habent. Præsupponit igitur Gail. eo loco, alios adhuc extare status extrâ matriculam, ut Nobiles immediatos imperii. Nulli n. sunt alii
præter

præter Hanseaticas civitates, partim liberas, partim vero aliis Statibus certis conditionibus, constitutionibus & pactis subjectas. Nam quamvis iis certus census in albo sive matriculâ imperii non sit constitutus, eas tamen contributiones, quas cœteri Status Imperatoriæ Majestati, ut & Sacro Imperio pensitant, & contributionibus ab immatriculatis concessis, nomine imperatoris cum Nobilibus immediatis, de quota illorum, quæ tamen istis libera relinquitur, particularis fit tractatio.

29. Idem cum Hanseaticis Civitatibus ab imperio immediatam dependentiam habentibus tractatur; eatenus enim immediati imperii Status censentur, quatenus exemptionem & immunitatem ab imperio recognoscunt, quod utrumque quoad Nobilitatem & Hanseaticas civitates *ex Recessibus imperii de annis 1557. 1566. 1582. 1594. uberius constat*; Necquæ omnibus in matriculâ imperii certo censu denominatis, jus sessionum & votorum, sed inter Status principum, istis solum, qui tenent imperium, competit, cœteri apanagiati principes, licet nullum imperii feudum teneant & certâ pecuniæ sumâ aut feudo particulari, contenti esse jubeantur, ut & haud omnes Comites, Proceres, & Prælati, quamvis immatriculati, & certo censu in albo imperii denominati sint, nihilominus Status imperii remanent, ad sessionem

& suffragia haud admittuntur. Nam inter proceres & comites Svevis & Wetteraviis, ut & Prælati, duo tantum vota concessa; Comitibus autem Franconia & penes tractum Rheni, tot illorum à Wetteraviis exclusi; item Saxoniam & Westphalia, licet ad comitia vocentur penitus denegata sunt; Hac igitur de causâ prædictos comites & Dynastas inter immediatos imperii status non connumerari deberent, id sanè Wertheimb/ Castel/ Hohensloe/ Schaumburg/ Oldenburg/ von der Lipp/ Bentheim/ Osirisland: & aliis pessimè dictum esset. Idem ratione suffragiorum & sessionum de Nobilitate Franconia verificari nequit.

30. Rationem autem, propter quam prælaudata nobilitas matriculæ imperii haud incorporata fuit, & eidem certus census adscriptus, suppeditavit necessitas, quia ut corpus univèrsum certo territorio destitutum, certo censu, aut determinato militum numero equestrium & pedestrium, propter varietatem facultatum, quæ, ut corpus aliquod unitum non quovis tempore penes unam remansere familiam, sed aut per matrimonium, aut contractus, donationes inter vivos, aut quamvis aliam ultimam voluntatem ad alias familias si non in totum saltem pro parte translata, aut Domino feudi aperta fuere, non gravari potuit.

31. Hoc tamen notatu dignum venit, quod subsidium antiquis temporibus, priusquam albus sive Ma-

ve Matricula imperii anno 1521. condita, non argento, sed militibus equestribus & pedestribus factum, & cuilibet Electori, Duci, Comiti, Prælato non ratione personarum sed potentiae & reddituum certus militum numerus, postea in albo sive matriculâ expressus, assignatus vel moderatus sit. Ex antiquis igitur matriculis verificari nequit, nobili certum militum numerum in iis adscriptum esse, præterquam ad quod præstandum, ratione feudi imperialis, unus vel alter obligatus fuit, ipsimet vero tanquam homines bellicosi castra sequuti sunt, & certo salario pro salute imperii servitia præstiterunt. Ex quibus omnibus ratio propter quam liberæ Imperii nobilitati in albo imperii novissimo ann. 1521. Wormatiæ condito nil certi, aut numerus militum determinari, nam ex prioribus matriculis nihil certi hauriri potuit. Imperio igitur utilius fore judicatum, si nobilitati pro modo facultatum contribuere liberum relinqueretur arbitrium, id quod consensus nummuli communis de a. 1500. ad oculum demonstrat. Quamvis igitur immediata Nobilitas Franconiæ, Sveviæ & penes tractum Rheni in matriculâ Imperii non expressa, aut certo censu denominata, neq; ad comitia vocata sit, multò minus jus aliquod sessionum & votorum haberet, nihilominus inter Status imperii connumeranda esse, ex hætenus probatis sole clarius existit. Quam etiam Besold in suo discurs. de ordine equest. in fin. Stephan. l. 2. d. Jdict. c. 4. n. 37 & seqq. & alii quam plurimi agnoscunt. Imo Antagonistas, nobiles immediatos iisdem cum Statibus imperii frui privilegiis & beneficiis, confiteri oportet, Cum igitur in effectu conveniant, meritò inter se convenire censentur: & quidem simplici-

pliciter argumento *l. si non sortem §. indebitam & l. ex his ff. de cond. indebita, l. 1. in fin. & l. nihil refert ff. de condict. sine causâ.* Cravetta *consil. 657. n. 19. vers consequenter hic dicendum.* Et quantæ sit efficaciam argumentum ab effectu desumptum docet Everhard. *in locis leg. ab effectu, statim in principio.*

32. Oneribus quoq; uti cæteri Status secundum proportionem quovis tempore similiter subjecti fuere prout informat *Ord. Reg. d. A. 1500. fol. 40. & ejusdem Comitii Recessus f. 57. Recessus a. A. 1512. Nachdem uns: f. 81. & d. A. 1542. §. Demnach haben wir f. 57.* In quibus locis fit mentio tractatus, quem Imperator communis census gratia cum liberâ imperii Nobilitate ut consentiret in eum, assumere, & ne vergat in præjudicium jurium, consuetudinum, & privilegiorum, clavem ad custodiam pecuniæ collectæ, tradere mandaverat. Cum itaq; ex hætenus deducto & firmissimis argumentis probato fundamento, intentio Nobilium, & quod sint Status imperii exasse edocta sit, elucescit, illos non solum, privilegiorum & beneficiorum Statuum imperii immediatorum, sed & cum ratione rerum Ecclesiasticarum & secularium, tum Personarum Principis Jdictioni sub cujus districtu castra & villas habent prorsus exemptos esse, & quidem secundum communem regulam: *Quod paria sint locum esse extra territorium, & esse in territorio sed ab eo exemptum. Nam qui est in loco territorii, sed exempto, is & extra territorium esse censetur c. cum Episc. & ibi glos. d. off. ord. in 6. Jason. in l. extra territorium 15. & ibi Decian. n. 2. Zas. n. 7. & alii ff. de Jurisdictione.* Hinc exempti dicuntur per se exercere Jdictionem *Cephal. consil. 418. n. 28.* Exinde Domini locorum exemptorum non subditi, sed vicini dicuntur, haud secus, ac si extra territorium alicujus principis in vicinia habitarent *per sup. alleg.* Testatur etiam Mynsingerus, quod Comites, Barones, Nobiles in alicujus Principis districtu castra & villas habentes, principi non sint subjecti in Jdictionalibus, & hoc in inferioribus à principe summo planissimum esse scribit. *Matth. Stephan. d. d. Jurisdiction. l. 2. c. 7.*

n. 69.

S. D. G.


de
â.
æ
r-
r-
r-
r-
s-
vir
or
uc
m
o-
ex
la-
e-
m
m
a-
a-
u-
in
m-
ff.
af.
x-
o-
nd
a-
o-
ra
9,
fe

06 A 972

ULB Halle

3


004 544 854



1017








B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue



13

fuva.

IRIS PUBLICI

MPERII

RANCONIÆ,

RACTUM RHENI,

PERII DICEN-

T?
Ctorum Ordinis,

ergensi Academia,

IDE
ssimo, Consultissimo, Amplis-
llentissimo

ODORO MARTINI,

o, Sereniss. Elect. Sax. Con-

istorii Ecclesiastici, Facultatis
ravissimo, & p. t. Aca-

tores;
ore suo omni honoris ac

em devenerando,
censuræ sistit

I à *Ryau* / Eqv. Lus.

pondens.

boris promeridianis,

Anno clō Ibc LXIX.

RGÆ,

ELIS Wende.

Von Löben.